
CLEMENTE XIII.
PONTIFICE MAXIMO
RENUNCIATO
ORATIO
HABITA
IN COLLEGIO ROMANO
PRID. KAL. SEPT. CIↃIↃCCLVIII.

A RAYMUNDO CUNICH
E SOCIETATE JESU.



ROMAE CIↃIↃCCLVIII.

TYPIS JOHANNIS GENEROSI SALOMONI
SUPERIORUM PERMISSU.



ORATIO.



EX quo die, CARDINALES AMPLISSIMI, primum eſt auditum, CLEMENTEM XIII, Deo Optimo Maximo comitia gubernante, vobis ſuffragium ferentibus, omnibus hominibus plaudentibus, veniſſe in eum locum, unde terrarum orbem infra ſe poſitum intueri, atque univerſo generi hominum prodeſſe poſſet; inde uſque ad hanc horam romani hujus collegii ſodales perpetuo, vehementer, apertiſſime laetati ſumus: ſed tamen privatim ſinguli, non publice univerſi. Fiat jam aliquid ſuſceptum communi conſilio: erumpat

vox oratoris: in magna laetitia, laetitiae comes, gratulatio non desit. Quo genere gratulationis uti debeam, non quaero. Placet gratulatio, quam veritas praescribit, qua utuntur omnes, qui apte volunt gratulari. Gratulor quod ita Pontifex factus est, ut esset dignus qui fieret; gratulor summam in summo honore dignitatem, duarum rerum pulcherrimarum multo pulcherrimam conjunctionem. Habetis quid susceperim; praestare ut possim, quaeso atque obsecro, vestro me studio ac benevolentia sustentate.

Tibi igitur, BEATISSIME PATER, cujus imaginem hic propositam oculis cerno, quem absentem ita contemplor animo, tanquam si adesses, hujus romani collegii, quod fratris Tui liberi duo illustrarunt, duo illustrant hoc tempore, hujus, quae ad nos ventitat, urbanae ac peregrinae juventutis, nostram praecipue hominum societatis, qui hic aliquid docemus aut discimus, primum exhibeo ac defero voluntatem, observantiam, venerationem. Deinde sincere atque ex animo gratulor ista, quae es adeptus, summum honorem, summum imperium, summam inter homines potestatem.

Quae

Quae quanquam ſunt magna atque praeclara, tamen gratulatione digna non putarem, niſi viderem eſſe praeterea quiddam aliud, quod Tibi poſſim jure ac merito gratulari; iſtam videlicet earum rerum, quas dixi, tantae amplitudini tam bene reſpondentem, ac parem prorſus dignitatem. Quae item dignitas poſita, ut ſapientibus videtur, in vera ſolidaque virtute, data a Deo, quaeſita recte factis, non alieno ſtudio, aut ſuffragatione ulla delata, quamvis obtinet vim ſuam ipſa per ſeſe, atque ob eam rem honores non expetit, tamen, quum ad eosdem vocata eſt, habet profecto quod gaudeat; vel quod eſt aequum, ubi ſit vera honeſtas, ibi eſſe inſignia honeſtatis; vel quod eſt dulce multorum, praeſertim ſapientum, teſtimonio judicioque probari; vel quod eſt pulchrum, quod magmum, quod frugiferum ac ſalutare, virum fortem, cui voluntas non deſit, nanciſci facultatem promovendae publicae utilitatis, fovendae virtutis, comprimendae improbitatis, ipſius ſuae dignitatis praeclaris actionibus in ſingulos dies non modo illuſtrandae, verum etiam amplificandae.

Accepimus, fuiſſe olim in hac urbe templum

plum Virtutis, huic adjunctum templum Honoris: stulte atque impie, quod rebus a Deo datis divini honores tribuebantur; quod haec duo inter se jungebantur, sapienter atque ad id, quod dico, accommodate; ut indicarent, opinor, illa conjunctione, magnam esse harum rerum inter ipsas necessitudinem, alteram perfici ab altera, honorem virtute indigere, virtutem honore adjuvari.

Nec vero Tu, BEATISSIME PATER, idemque etiam sapientissime, non vides, quam bona sit haec complexio & consociatio rerum optimarum; quam denique possit is, cui contigit, jure laetari. Sed Tu eam Tibi contigisse non putas. Honorem, quo es affectus, maximum ac divinissimum esse, concedis; Te ut illo dignum esse Tibi persuaderes, adduci usqueadeo non potuisti, ut conarere saepenumero, ac tum maxime quum suffragatorum studia maxime calebant, etiam aliis persuadere, unum Te esse indignissimum, cui tanta res tribueretur.

Nec Tu id fecisti verbo, ut assolet, aliquo levi ac frigido, sed oratione plena gravitatis, plena fidei, plena doloris; quum lacrimae defluerent, gemitus erumperent, vox identidem inter-

interclusa singultibus impediretur: O diem illum, tam illustri christianae modestiae exemplo edito, nunquam non memorabilem atque illustrem futurum! o ignorationem sui praeclaram, atque omni scientia meliorem! o errorem (siquidem error dicendus est) dignum profecto, quem omnes laudent, sibique expetant sapientes; cujus se virtus procreatricem & parentem fuisse dicat; qui solus versetur, tecumque sedeat in ista sede, columna & firmamento veritatis! Est enim sine controversia Deo gratus, jucundus hominibus, Tibi cum gloriosus, tum vero etiam salutaris: mihi uni tamen incommodus, quod me non patitur, Tecum loquentem, de Tuis laudibus multa dicere, atque id, quod coeperam de dignitate, urgere & persequi usque ad extremum.

Quamobrem avertam a Te orationem meam, convertam ad hos, quos certo scio magno cum assensu, magnaque cum voluptate audituros haec esse, quae ad Te si dicerem, vel non agnosceres, vel non probares.

Quidnam igitur vobis videtur, PATRES AMPLISSIMI? qui sunt, qui fuerunt vestri sensus in hac hominis modestia tam magna,

tam-

tamque admiranda? Possumusne aut reperire usquam gentium, aut vero etiam cogitando animo fingere quenquam honoribus digniorem, quam aliquem virum, qui sit hujusmodi, ut eum suffragia sapientum, & vota omnium ad honorem deposcant, eundem ipse tam sibi putet non deberi, ut, prima honoris capessendi mentione facta, miretur, haesitet, cohorrescat non multo secus, ac si cui, rei maritimae ac bellicae prorsus ignaro, navis gubernanda in mediis turbinibus, aut exercitus in ipsa acie congressuque cum hostibus, in ipsa acerrimae incertissimaeque pugnae dimicatione, regendus imperio atque in officio continendus daretur.

Nihil videtur esse majus hoc toto in genere dignitatis, quod praeterea postulari a quoquam, aut vero etiam non stulte optari possit. Est tamen aliquid majus atque perfectius: nempe ut illa hominum judicia cum re ac veritate ita consentiant, ut huic, quem fingimus, viro ab omni ad rempublicam bene gerendam instrumento atque ornamento paratissimo, dum se imparatum esse judicat, pugnandum sit secum ipsi quodammodo, cum intima sui ac suorum ornamentorum conscientia,

tia,

tia , cum necessaria totius anteactae vitae recordatione. Hanc ego dignitatem summam esse statuo ; hanc in CLEMENTE XIII. inesse video ; hujus illum gratia felicem ac beatum esse praedico. Se ipsum videat, suos mores, suamque vitam consideret, quaerat, scrutetur, excutiat quam libet omnia, nihil inveniet non dignum loco, in quo illum collocavistis.

Natus est patre REZZONICO, matre BARBADICA ; hausit ab utroque parente patriciam sanguinis claritatem ; habuit in utraque familia viros fortes atque omni laude praestantes, quorum adspectu ac recordatione ad decus excitaretur. Natus est Venetiis, in urbe, in qua omnes ad tranquillitatem, patricii etiam ad libertatem atque ad imperium nascuntur, non magis cives, quam domini, miro plerique omnes naturae habitu ad humanitatem, ad gravitatem, ad eam, quae nihil non potest, suaviloquentem sapientiam. Ad annum aetatis decimum domi est retentus, hoc est imbutus illa paterna atque avita ac pene insita suae gentis innocentia, bonitate, liberalitate ; domesticarum virtutum spectator, ac prope jam aemulator. Missus est studiorum causa Bono-

niam ; ſedem illam doctrinae ac ſtabile domicilium litterarum . Habitavit in nobili collegio xaveriano apud homines , quibus tantae indoli inſtituendae quanquam par facultas non adfuit , voluntas certe non defuit . Qui nunc homines dicunt , ſe jure laetari , quod ipſis contigit hoc tantum boni , ut , quem habuerint olim tecti ac ſtudiorum conſortem , eundem jam habeant patrem , magiſtrum , moderatorem , ac dominum ; quem dulce ſit amare imperantem, admirari docentem , ſequi ducentem quo velit .

Verum hanc , mihi meiſque multo jucundiſſimam , commemorationem miſſam faciamus ; atque ipſum potius , oratorio & philoſophico ſpatio magna cum laude jam decurſo, Bononia diſcedentem laeti atque alacres proſequamur , primum Venetias, ubi commoratus biennium, ſtudioſe verſatus eſt in jure civili & theologorum dogmatis cognoſcendis ; deinde Patavium, ubi eorum , quae didicerat , ſpecimen dedit in coetu hominum doctiſſimorum, retulit lauream, doctrinae inſigne uſitatum , reliquit opinionem doctrinae , minime uſitatam ; poſtremo Romam , ſedem hanc Religionis , campum ampliſſimum hominum virtuti atque induſtriae patefactum.

Quem

Quem ille campum ubi primum ingressus est, quam libenter, quam cupide, quam sine mora dedit se in eum cursum, quem omnes laudare coguntur, tenere non nisi magni atque admirabiles viri potuerunt! Florem ipsum aetatis, lubricum illud tempus, ac praeceps in omnes casus, ita traducebat, ut esset omnibus exemplar laboris, continentiae, religionis, innocentiae, pietatis. Eam vitae rationem instituerat, atque ita diem partitus erat, ut pars temporis multo maxima litterarum studiis, hominum utilitatibus, omni religionis officio, Deique cultui tribueretur; parum temporis ad quietem reliquum fieret, nihil ad voluptatem. Jura civium, responsa pontificum, decreta patrum cupide cognoscebantur; parabatur scientia, quae non animum inutiliter oblectaret, sed ipsi olim reique publicae prodesset. Fessum labore studiorum templa excipiebant. Miseri deinde in custodiis publicis, aegroti in nosocomiis, honesti interdum homines, suis in domibus egestate atque inopia perditi, visebantur: quorum ille aerumnas dolenter videbat, amice solabatur, large sublevabat; quorum necessitati ne quid deesset, nunquam illum pecu-

niam aut piguit erogare suam, aut vero etiam puduit corrogare alienam.

Versor in commemoratione rei notissimae. Qui Romae fuistis, qui per aetatem videre potuistis, ipsi vidistis CAROLUM REZZONICUM virum nobilitate, opibus, famae celebritate florentem, sacco asperrimo indutum nudis pedibus incedere; obire vias urbis; cogere stipis aliquid ab opificibus, a tabernariis, ab ultro citroque commeante plebecula; ut alienae mendicitati opem ferret, ipsum mendicare. O miram vim christianae adversus inopes misericordiae, ipsorum inopiam non modo sentientis ac miserantis, sed etiam in se transferentis! O instituta praeclara illius, in qua haec fiebant, & fiunt, sodalitatis! Quam vos nuper, Quirites, ut audivit suum olim alumnum, pauperum coactorem, praebitorem, patrem, summum pontificem factum, in illo ipso recentissimo effusissimoque gaudio totius civitatis, ipsam suo more, pedibus nudis, manibus pectori admotis, oculis prae voluptate collacrimantibus, prae modestia in terram defixis, tacite, suppliciter, venerabunde ad Sancti Marci gratulatum, Deoque gratias actum incedere quum videretis; lacrimas

crimas non tenuiſtis , atque agnoviſtis genus gratulationis dignum religione hujus urbis , dignum Pontificia ſanctitate .

Haec mihi ex privata hominis vita delibanda putavi . Publica munera brevi percurram : ſunt enim vobis quam mihi notiora . Reate primum , deinde Fanum Fortunae praetor obtinuit . Nihil provincialis querelae auditum eſt unquam . Omnia perferebantur plena conſilii , plena aequitatis , omnia exacta ad normam tum civilis ſcientiae , tum chriſtianae virtutis ; quae etiam in regendis civitatibus permultum valet . Romam inde vocatus ſedit in eo conſilio , cui nomen eſt factum a conſultationibus , quas habet aſſidue in rebus graviſſimis , cum maxima ſtatuendi poteſtate ; ſedit in ampliſſimo collegio duodecimvirali . Utroque in munere nihil fuit loci aut reprehenſioni aut ſuſpicioni ; nihil ſimultati aut amicitiae datum eſt unquam ; nihil non decretum ex jure ac legibus ; nulli non laudata hominis facilitas in audiendo , ſcientia in reſpondendo , diligentia in cognoſcendo , in ſententia ferenda religio . Ipſa aequitas , illo res judicante , judicare quodammodo , libram ſuſtinere , expendere omnia , partiri , ſuum cuique tribuere videbatur .

His

His itineribus progreſſa CAROLI virtus, ſpectata jam & diu cognita, venit in eos gradus, quos inter & ſummum nihil eſt interjectum, quo praeterea poſſet aſcendere. Cardinalis a Clemente XII. epiſcopus Patavinus a Benedicto XIV. creatus eſt.

Cardinalitiae actiones quales fuerint, ſi quis requirat, reſpondebo idem de omnibus: fuiſſe optimas & laudatiſſimas: ex omnibus unam indicabo, quae inſtar omnium eſſe poſſit; illam videlicet, quae, in cauſa Aquilejenſi tanta cum laude verſata, nunquam deſiit aut deſinet hominum ſermonibus celebrari. Deus immortalis! Quanta expromenda fuit animi cura! quanta ingenii dexteritas! quanta conſilii & ſapientiae magnitudo in tanta mole ſuſtinenda, gubernanda, ad eum, qui optabatur, exitum perducenda! Quae vidimus brevi tempore facta eſſe omnia: controverſiam gravem, inveteratam, magnis difficultatibus impeditam; explicatam, ſedatam, ſublatam: urbem admiratione defixam: ipſum, Patavium, unde invitiſſimus aberat, redire feſtinantem; ad ſponſam, ad oviculas ſuas, quas unice amabat, a quibus unice amabatur.

Qui

Qui quidem amor, hujus viri epiſcopales actiones cujuſmodi fuerint, ſatis declarat: ipſe amor quam eſſet magnus maxime in hominis reditu ac diſceſſu declarabatur. Advenienti obviam ſe effundebat civitas univerſa; abeuntem, votis, corpore, fletu ac ſingultibus proſequebatur, quum avelli non poſſet, quum jam avulſa, & domum rediens, tamen identidem reſpectaret.

Quae ego ita facta eſſe, non miror; mirarer, ſi facta non eſſent. Fera aliqua & immanis natura fortaſſe potuiſſet: Patavini, homines humaniſſimi, talem paſtorem non amare ardentiſſime ac ferre in oculis non potuerunt; a quo videbant, quae ad religionis cultum pertinerent (quo cultu etiam civium ſalus atque omnis felicitas continetur) adminiſtrari omnia tam accurate, tam ſancte, tam auguſte, ſe ac reliquum gregem curari tam diligenter; a quo epiſcopale illud templum regali magnificentia exſtrui magna ex parte, perfici, dedicari, auro, argento, omni ſupellectilis, omni ornamentorum genere locupletari; a quo ipſorum uſibus ac ſaluti magnam copiam ſacerdotum, vita & ſcientia ſacerdotali praeſtantium, eſſe

jam

jam paratam, aeque praeſtantium ſobolem multo majorem, laxatis ingenti ſumptu ſeminarii aedibus, ali ac parari; quem denique non ignorabant, unum pro cunctis anxium & ſollicitum curis omnibus excubare, vigilare, nunquam connivere, nihil negligere; quidquid increpuiſſet, timere ſuis ovibus; vocare, mittere, ire, atque accurrere periculi depulſorem, cuſtodem ſalutis.

Quid ille in pauperes paternus maternuſque animi ſenſus, illa miſericordia, bonitas, benignitas? nonne vel ſola tamen inflammaſſet omnium animos ſtudio, benevolentia, ardore quodam incredibili caritatis? Pro ſancte Deus! quae fuit per annos quindecim illa domus! illa, non domus, ſed officina honeſtiſſima liberalitatis, ſed aerarium commune miſerorum. quo viduitas, quo orbitas, quo ſolitudo, quo nuditas, quo egeſtas, quo omnis omnium, fame, algore, morbo, aere alieno preſſa mendicitas undique convolabat; unde omnia promebantur, quod opus erat cuique, cito ac large dabatur; ingentes pecuniae erogabantur, effundebantur; non ſupellectili, non veſti, non victui, vix paſtorali pedo, vix cruci, vix annulo, epiſcopatus inſignibus, parcebatur. Quid

multa?

multa? homo copiosissimus, amplissimo patrimonio, uberrimo sacerdotio praeditus, idem omnium frugalissimus, victus cultusque sui non solum splendori, sed etiam necessitati multa detrahens, ne suum misericordiae vectigal minueretur, brevi tempore, levanda aliorum paupertate, fiebat ipse pauperrimus, exhausta jam re, nondum exhausta largiendi pauperibus voluntate.

Hanc, quam audistis, bonus pastor suis ovibus curam impendebat Patavii; hanc eandem in reliquis oppidis, pagis, vicis omnibus: quorum incolis, aeque Christi sanguine redemptis, atque ipsius custodiae creditis, nefas esse ducebat aeque magnam, ac Patavinis, sui amoris ac suarum sollicitudinum partem non impertiri. Non ille arbitrabatur sibi omnia confecta, & satis factum suo muneri, quod ubique praefecerat homines navos ac strenuos, quorum nec vita improbari, nec scientia contemni posset; quod opportune auxilia submittebat, quaeque usus posceret, absens mandabat. Ipse praeterea, quasi quidam paterfamilias prudens atque attentus, obibat omnia, invisebat, inspiciebat quo loco res esset, quid operis fieret, quam

ſancte religio, quam ſtudioſe boni mores colerentur; num oves haberentur ſatis diligenter, num eſſent ipſae ſuis cuſtodibus dicto audientes, num qua inſoleſceret, num qua deerraſſet.

Haec me video, dum breviter dicere voluerim, dixiſſe jejune: dicam uberius aliquanto; nam, ut aſſequar oratione rerum magnitudinem, non eſt poſtulandum. Agite igitur, niſi moleſtum eſt, transferte animos veſtros a Patavini agri nitore atque amoenitate ad eorum, quibus referta eſt illa dioeceſis, montium ſquallorem, altitudinem, aſperitatem. Contemplamini illos ſaltus, tam denſos, tam horridos, dumeta, ſenticeta, rupes praeruptas, affixa in rupibus oppidula, devia, ardua, prope inacceſſa; eo contendentem, atque enitentem equo, pedibus, quoquo modo poteſt, per longiſſimos callium amfractus, hominem ſexagenarium, corporis infirmitatem animi robore ſuſtentantem; oppidanos longe aſpicientes, agnoſcentes, certatim obviam properantes, genua ſubmittentes, ſui praeſulis non tam majeſtate obſtupefactos, quam ipſo illo tam ſuavi oculorum conjectu, atque oris hilaritate captos ac delinitos. Quid illa in templum deductio? nihil non confertum homi-

hominum multitudine; ipſe Dei ope rite implorata ad ſedem ſuam progreſſus; omnia ora in unum intenta, omnium animi paratiſſimi ad ſalutare divini verbi ſemen excipiendum, ad ea, quae diceret, ſedulo facienda. Jam conciones utinam ab aliquo excipi & ſervari potuiſſent! perſpicuae, uberes, plenae roboris atque nervorum, conformatae ad euangelicam & apoſtolicam, id eſt veram & germanam formam eloquentiae. Quae ſi vigeret in magnis urbibus, neque tam multi, obliti quam perſonam ſuſtineant, in rebus graviſſimis nugas agerent atque ineptirent, praeclare cum civibus ageretur. Ardebat ipſe, omnes inflammabat: fletus cooriebatur, voces divinam miſericordiam implorantium ac peccatorum veniam poſcentium audiebantur. Dimiſſa concione, ſacra tribunalia obſideri, ſordes animorum elui, expiari. Ipſe interim non ceſſare; eodem die iterum ac tertio concionari, ſalutari doctrina pueros imbuere, percontari, interrogare, omnia patientiſſime explanare, tradere, inculcare verbis ac ſententiis, ad illius aetatulae captum accommodatis. Quid ubi a templo diſceſſum erat poſt ſenas ſeptenaſve horas in eo traductas?

iis, quos dixi, laboribus alii labores succedebant: domi, quae deinde agenda essent meditari; aegrotum aliquem invisere; sanctissimum Christi corpus ad moribundum deferre; aliquem, sicubi erat, vel inimicitias gerentem cum aliquo, vel quamcunque aliam ob causam nondum resipiscentem, alloqui separatim, orare, ne repudiaret oblatam salutis occasionem, ne tantum pastori suo dolorem inureret, Christo, per suum sanguinem suaque vulnera obsecranti, ne repugnaret; urgere, instare, frangere atque emollire omnem animi duritiam ac pervicaciam sua illa admirabili constantia, gravitate, perseverantia, aeque admirabili mansuetudine ac lenitate. Ad extremum omnibus, jam sibi invicem, jam Deo conciliatis, caeleste caritatis epulum indicebatur; ipse sua manu divinissimum Christi corpus, cibum illum fortium, in quo omnis suavitas atque omnis bonorum copia continetur, amantissime porrigebat, solus tam multis, mira alacritate opus continuans, sudore diffluens, laborem prae voluptate non sentiens. Hac ratione parte illa gregis curata, rebus jam omnibus ordinatis atque compositis, suas oviculas, propter instan-

ſtantem paſtoris diſceſſum triſtes, ac moerentes, Chriſto domino commendabat; eaſdem obteſtabatur, ut Jeſum Chriſtum amarent, ut ſaepe viſerent, ſumerent, omni religione ac pietate venerarentur; ipſe cum praeclaro illo manipulo ſacerdotum, quos ad hujuſmodi expeditiones ſibi comites atque adminiſtros delegerat, ad alias oves, ad eoſdem labores ire feſtinabat.

Sed jam ſit finis; atque oratio, progreſſa ultra id tempus, quod conſtitueram, conſiſtat aliquando. Nec vero haec ipſa, quae dixi, parum multa aut parum magna eſſe arbitror, ut ſtatuamus, hanc tantam virtutem, tam aequabilem, tam ſui ſimilem in omni rerum ac temporum varietate, fuiſſe digniſſimam, quae (veſtra opera, PATRES AMPLISSIMI, veſtro in rempublicam merito ſingulari) adſcenderet in eum locum, quo inter homines nihil eſt altius. In quo jam reſidens, cernetur ab omnibus, lucebit omnibus, proderit omnibus. Erit etiam ipſa beatior, quod omnes videbit ſua cauſa multo, quam antea, beatiores; quod omni hominum generi in ſingulos dies majorem afferet felicitatem. Nos quidem, BEATISSIME PATER

TER (ut eundem Te , quem initio ſum allocutus , alloquar etiam in extremo) , quae ſunt noſtrae partes , nullum finem facimus nec faciemus poſcendi a Deo , ut Te valentem ac vigentem ſervet quam diutiſſime . Idem confidimus facere in caelis illum , in cujus templo haec dicuntur , parentem noſtrum Ignatium ; cui , divinae gloriae atque humanae ſalutis ſtudioſiſſimo , Te , eodem ſtudio inflammatum , non dubitamus eſſe cariſsimum . Hanc , omnibus optatiſſimam , quum habuerit iſte Tuus Pontificatus diuturnitatem , fidenter dico , ſalva erunt omnia : magnas haec urbs capiet utilitates ; eccleſiae bonorum omnium copia non deerit . Quod ego ita futurum eſſe confirmo , fretus , non augurio aut divinatione aliqua , ſed ea ratione , qua eventa ex cauſis , ex primis media & extrema noſcuntur ; fretus recordatione praeteritorum , fretus adſpectu praeſentium , fretus Tuis virtutibus , Tuaque iſta , orta ex tam laudabili totius vitae curſu , auctoritate : cujus auctoritatis exſtat jam ſpecimen pulcherrimum , ac praeclariſſimum ; quae nuperrime opus maximum ac difficilliumum , diu tentatum , prope jam deſperatum , ipſa confe-